

Permīra Aladdīnis lucerna

In antīquā urbe habitābat pulcher adolēscēns Aladdīn nōmine. Pater ejus mortuus erat, māter autem lintea lavāns vīctum quæritābat.

Aladdin quidem erat bonus fīlius, mātrī succurrēns ut poterat, vīta autem erat dūra.



Dum enim ambulābat per forum et adjuvābat mātrem ad illōta portanda, sæpe irrīdēbātur ā puerīs acerbīs...



Quādam diē magus scelestus quīdam, cum vīdisset Aladdīnem ipsum esse adulēscentem quem requīreret, cōnstituit ut cognōsceret eum.



Cum nummōs aureōs puerīs quibusdam largītus esset, magus cognōvit omnia dē Aladdīne habitātiōnemque ejus.



Paulō autem sērius magus, cum supervēnisset Aladdīnī ad puteum, quī prope domuī ejus erat, rīdēns cucurrit adversum Aladdīnem...


DELL COMICS ARE GOOD COMICS



Simulānsque exsultāre lætitiā, magus interrogābat eum dē patre ejus. Aladdīn autem modo nōn stupēbat.



Cumque Aladdīn eī nārrāsset patrem suum mortuum esse, malus et vetus īnsidiātor, quasi afflīctus, obtexit vultum manibus.



Omnēs quidem Aladdīnis cōnātūs ad cōnsōlandum patruum, ut vidēbātur, irritī fuērunt. Appārēbat autem magum in lūctū



Magus ergō, pollicitus sē ad cēnam vesperī ventūrum, nummīs nōnnūllīs in Aladdīnis manum positīs, abiit.



Illā autem vesperā, māter Aladdīnis apparāvit patruō, ut vidēbātur, cēnam suāvissimam, nempe anatem assam ēmptam quō argentō iste dederat.



Magus autem, quī per tōtam vesperam Aladdīnem magnificē laudābat, obscūrē significāvit quiddam magnī ab eō exspectārī.



Et ex cōnsiliō callidus īnsidiātor attulit adolēscentī pulchra vestīmenta.




Māter autem Aladdīnis ita glōriābātur prō pulchrō fīliō ut dubitāret nihil ā patruō, ut vidēbātur, dictum.




Postrēmō magus, cum pollicitus esset sē postrīdiē māne reditūrum ut dūcat Aladdīnem ad rem vērē mīrābilem prō illō ā sē parātam,



Postrīdiē igitur magus ēdūxit Aladdīnem in montāna. Via autem erat aspera et agrestis.



Ferēbatque eōs per tenebricōsam silvam, ubi arborēs vidēbantur multum et mīrē mūtārī.



Dēnique magus dīxit Aladdīnī mīrum thēsaurum aurī et adamantum et carbunculōrum et smaragdōrum jacēre sub terrā.



Persequēns autem mandātum patruī, ut vidēbātur, omnibus vīribus exstirpāvit magnum dūmum ūnā cum glæbā...




...tantō forāmine relictō ut potuerit ingredī. In īnferiōrī autem forāmine erant gradūs quī ferēbant, ut vidēbātur, in immēnsam profunditātem.



Antequam Aladdīn admīrātiōnem excuteret, iste quī patruus putābātur jussit illum dēscendere in spēluncam quæ erat īnfrā gradūs et referre lucernam quam illīc repperisset.




Aladdīn autem monitus est nē sineret vestīmenta tangere mūrōs nē ipse morerētur.



Scālæ quidem lapideæ magis magisque deorsum ferēbant. Aladdīne autem dēscendente, magis magisque obscūrābātur.



Deinde ad īnfimās scālās vidēns mīram lūcem, secūtus est eam per jānuam.



Et Aladdīn pervēnit ad pulchrum hortum, ubi omnis flōs erat carbunculus vel smaragdus, frūctūs autem quī ex arboribus pendēbant erant margarītæ vel lapidēs pretiōsī. Et stābat rē tam mīrā stupefactus.




Neque facere potuit quīn carperet paucās rosās ex unō carbunculō cælātās ac bellidēs foliīs adamantinīs præditās.



Et cum carpsisset pōmusculum ex sīngulā arbore adimplēvit marsūpia. Omnēs vērō frūctūs erant lapidēs pretiōsī. Aladdīn autem nesciēbat.



Ita quidem commōtus erat ut modō nōn oblīvīscerētur quā dē causā vēnisset. Subitō autem vōx magī monuit eum.



In ultimīs hortus lucerna jacēbat super mēnsā, Aladdīn autem dubitābat quæ patruō, ut ipse putābat, ratiō esset cum hujusmodī lucernā.



Obēdiēns autem patruō, ut vidēbātur, Aladdīn, sublātā lucernā, profectus est rūrsus ad longās scālās...



Prope autem ōstium vīdit pulchrum et aureum ānulum super suggestum jacentem. Et Aladdīn vehementer tentātus est cognōscere sī sibi aptē convenīret.



Ideō, dēpositā lucernā, expertus est ānulum. Tunc autem vōx magī perīrātī dēscendit per scālās.



Aladdīn igitur festīnāvit ad præceptum patruī, ut putābātur, deinde autem, ut lapidēs pretiōsī ē marsūpiīs ejus effundēbantur, iterum cessāvit.



Magus autem factus est furibundus. Volēbat enim lucernam ab Aladdīne sibi porrigī ut exsequerētur cōnsilium operiendī juvenem in spēluncā.



Īra quidem patruī sōlum obdūrābat Aladdīnem. Quī autem incipiēns tollere lapidēs ait patruō, ut putābātur, opus esse eum exspectāre.



Verba Aladdīnis ita irrītāvērunt magum scelestum ut is omnīnō perturbātus sit. Quī, magicā virgā ē vestīmentō extractā, locūtus est verba mīra quædam, terra autem sē clausit!



Prīmum Aladdīn haud plānē sciēbat quid accidisset. Deinde autem territus est.



Cōgitāns dē mātre ædiculīsque ubi habitābant, Aladdīn contrīstātus est valdē. Lacrima autem stillāvit super lucernam ejus.



Quoniam nihil aliud eī faciendum erat, Aladdīn attrīvit lacrimæ maculam ā lucernā.




Et subitō genius appāruit! Aladdīn autem ante oculōs habēns vix sibi persuādēbat! Prīmō enim putābat sē somniāre!



Cum autem genius explicāsset Aladdīnem nunc esse dominum suum, juvenis cōnsilium cēpit ut tentāret eum...



..in quō prīmum sibi in mentem venīret! Equidem arbitrābātur nihil accīsūrum esse, sī autem potuisset exīre...



Subitō autem tonitrus factus est et Aladdīn stābat ubi quidem forāmen terræ fuerat, sōle profectō lūcente.



Tamen nōn erat somnium! Omnia enim eadem erant, præterquam quod neque forāmen aderat neque magus!



Aladdīn ergō, subācta intrā indūsium lucernā, profectus est rūrsus ad urbem. Et īrātus est cōgitāns quōmodo vīvēns sepultus esset.



Cum domum pervēnisset, māter ejus modo nōn collāpsa est spectāns pulchrōs lapidēs ab eō inventōs. Nōn tamen crēdidit eī dē subterrāneō hortō nārrantī.



Et cum vīnxisset eōs līnō quōdam abscondit post laterem solūtum in focō.



Post autem diēs trēs, māter Aladdīnis poliēbat veterem lucernam æneam. Dum vērō atterēbat eam...



...subitō genius subrīdēns appāruit eī. Quæ vērō territa strīdit, sed nōn poterat respondēre.



Tunc autem Aladdīn nēquāquam timēbat. Citoque dēdit geniō mandātum.



Et, factō tonitrū, subitō super mēnsā jacēbat mīrābilis prō duōbus cēna in aurō pūrō.



Prīmō quidem misera mulier magis stupēbat quam ut verbum faceret.




Deinde autem fīlius ejus explicāvit fortem genium semper appārēre quotiēs quis attrīverit lucernam.



MĀTER ALADDINIS CĒNSUIT SĒ POSSE PATINAM AUREAM ŪNAM TANTĪ VĒNDERE UT SUFFICERET EĪS AD EXTRĒMAM ÆSTĀTEM.



ALADDĪNĪ AUTEM MAGIS CŪRÆ ERAT PISCĀTUM ĪRE.



DUM PISCĒS HĀMŌ CAPIĒBANTUR, AUDĪVIT VŌCĒS RĪDENTIUM POST DŪMŌS PRŌCĒRŌS QUŌSDAM.



ET ĪNSPICIĒNS PER DŪMŌS VĪDIT...




...RĒGIS ADULĒSCENTEM FĪLIAM AMĪCĀSQUE EJUS, PER LŪDUM IN FLŪMINE TRĀNSEUNTĒS, RĒGĪNĀ DŪCENTE. ALADDĪN AUTEM NUMQUAM VĪDERAT QUAMQUAM TAM VENUSTAM QUAM RĒGĪNAM!



Aladdin vērō sēdulē observāvit nē puellæ vidērent eum, cum autem eæ abīvissent...



...nōn amplius voluit piscārī! Arundinem autem in pulvere trahēns, lentē domum ambulāvit.



Per sequentem hebdomadam Aladdīn vagābātur circā domum quasi nūllā rē dēlectārētur.



Jam vērō surgēns percussit palmam pugnō. Statuerat enim sē fīliam rēgis uxōrem dūcere.



Cum Aladdīn dīxisset mātrī, ipsa prope collāpsa est. Quī enim fīliam rēgis sibi petēbat similis erat cui astra.




Sed Aladdīnī cōnsilium erat. Nempe māter, cum accēpisset lapidēs ex hortō sēcrētō pretiōsōs, dēbēbat dare rēgī.



Postrīdiē autem māter Aladdīnis, intus tremēns, vēnit in aulam rēgis. Priusquam enim concēderet, ad multam noctem cum Aladdīne



Dum stābat cum ēlegantibus quī ad videndum rēgem vēnerant, cupiēbat sē dēnuō domī esse.



Jam vērō sermō pervēnit ad eam. Quæ autem manibus tenēbat plēnam gemmārum arculam ēmptam ūnīus minimōrum adamantum.



Et cum in genua prōcubuisset ante solium, aperuit arculam.



Rēx autem præter fīliam amābat quam maximē lapidēs pretiōsōs. Et numquam vīderat hujusmodī lapidēs.



Māter autem Aladdīnis, tremēns ut vix loquī posset, nārrāvit fīlium velle rēgīnam uxōrem dūcere.



Rēx vērō sonum edēns dīxit sēsē quidem nescīre Aladdinem, fīliam autem nūptūram esse nūllō nisi omnium dītissimō virō.



Aitque, sī Aladdīn rēvērā spērāret sē fīliam ejus uxōrem ductūrum, eī crātērās aureās quadrāgintā adamantibus smaragdīs carbunculīs plēnissimās ad rēgem mittendās esse.



Māter autem Aladdīnis fugā discessit ex aulā, omnibus aulicīs eam rīdentibus.



Cum domum pervēnisset, fīliō nārrāvit rēgem postulāsse quod fierī nōn posset: nempe quadrāgintā crātērās lapidibus pretiōsīs plēnās.



Sed Aladdīn minimē turbābātur. Quī ōre distortō ante mātrem rīdēns sustulit veterem lucernam æneam.



Quam cum Aladdīn attrīvisset et genius appāruisset, dedit eī mandāta plūrima.



Aliquantō post rēx, cum per rēgiæ fenestram aspexisset, exclāmāvit mīrāns.



Vīdit enim quadrāgintā speciōsōs servōs quī totidem magnās crātērās aureās gemmīs clārīs plēnissimās portābant atque iter dīrēctum ad rēgiam ejus faciēbant.



Ideō rēx festīnāns ad aulam excēpit quadrāgintā servōs ūnā cum dōnīs. Neque vērō per somnum rēx cognōvit tot pulchrōs lapidēs in terrā esse.



Rēx vērō hæsitābat. Tandem ait sē fīliam Aladdīnī in mātrimōnium collocātūrum esse, sī ipsa cōnsēnsisset. Diemque statuit ut Aladdīn vīseret eam.



Cum prīnceps minister reversus retulisset prōmissiōnem rēgis, Aladdīn lætātus est.




Et revocāns genium quam maximē jussit. Enimvērō diū locūtus est! Cum cessāsset,



Magnifica rēgia stābat locō veteris tuguriī. Cōlumnæ enim erant aureæ et argenteæ, fornicātæ autem fenestræ clārīs adamantibus circumōrnātæ.



Cum diēs vīsendī rēgīnam vēnisset, Aladdīn vestītus erat cultū rēgiō. Deinde, equō albō magnificō extrā novam ejus rēgiam cōnscēnsō...



...vectus est per urbem, dum ruber examitus* tapēs ante eum magicā arte ēvolvēbātur.

* examitus, a, um = ἑξάμιτος, sex līciīs textus



Brevīque pervēnit ad aulam rēgis, ubi ipse futūrus socer ejus exspectābat dum salūtāret eum.



Sīc vestītus Aladdīn quam speciōsus erat vīsū. Rēx autem jam glōriābātur sē habēre hujusmodī generem et præcipuē dīvitem!



Cum autem rēgīna Amīna eum vīdisset, cognōvit Aladdīnem esse rēgulum in somnīs semper vīsum.



Paucōs post diēs splendidīs nūptiīs vir et uxor factī sunt.



Et migrāvērunt in magnificam novam rēgiam ā geniō ædificātam.


Per autem multōs mēnsēs Aladdīn et rēgīna fēlīciter vīvērunt, habentēs omnia dēsīderābilia.



Postrēmō nūntiātum est malō veterīque mago dē juvenis rēgulī magnīs dīvitiīs et glōriā. Īnspexit ergō globum crystallinum ut vidēret sī vērum quidem esset!



Cum cognōvisset rem sīc sē habēre, horribile vīsū, irātus est. Intellēxit enim Aladdīnem didicisse sēcrētum lucernæ.



Deinde in nāvem ingressus vēla dedit ad Aladdīnis terram.



Posteā cum pervēnisset ad urbem et induisset vestīmenta caupōnis quī lucernās vēnderet explōrābat Aladdīnem.



Posteā vēnit ad Aladdīnis rēgiam, clāmāns sē novās lucernās veteribus permūtātūrum esse. Sīc enim spērābat sē cognitūrum esse sī lucernam illīc cōnservārētur.



Ancilla quædam in rēgiā, cum audīvisset eum clāmantem, sēcum ipsa rīsit.



Ideō cōnsiliūm cēpit ut crēderet eī! Sciēbat enim ubi vetus lucerna ænea quædam posita esset.



Puella igitur festīnāns in Aladdīnis cubiculum dēmpsit dē altā tabulā lucernam. Neque vērō ipsa per somnum cognōvit in illā sēcrētum dīvitiārum Aladdīnis positum esse.




Vetus autem caupō, quī vērō erat magus indūtus, nōn tamen ignōrābat lucernam. Etenim modo nōn rapuit hanc ē manibus illīus.



Et illā diē magus lucernās nōn permūtāvit amplius! Fūgit autem ut sōlus cōgitāret quō modo ultūrus esset.



Aladdīn autem, quī vēnābātur ūnīus diēī domō, mininē nōverat calamitātem eī futūram.



Mediā autem nocte magus, geniō excitātō, jussit eum ferre regiam Aladdīnis ūnā cum omnibus quī intus essent in Āfricam!



Postrīdiē autem māne cum vēnisset rēx ad fenestram ut adspiceret rotundam auream rēgiæ Aladdīnis in alterum locum urbis, nōn invēnit.



Prīmum quidem nōn potuit sibi persuādēre novam fīliæ dīlēctæ mīram domum nōn amplius illīc stāre.



Aladdīn culpandus est! Comprehendite eum!Tandem autem, cum sibi persuāsisset, īrātus est dīcēns sine dubiō Aladdīnem magicā arte abstulisse fīliam ejus novamque rēgiam.



Sērius autem ejusdem dieī Aladdīn et in vēnātū sociī ejus revectī sunt in urbem nēquāquam suspicantēs facta.



Subito autem milites aggredientes habenam ceperunt equi Aladdinis. Cui nullum verbum fecerunt præterquam regem jussisse eum comprehendi.



Quī itaque vīnctus inductus est in aulam, ubi rēx expectābat eum.



Rēx autem furēbat. Quī enim arbitrāns Aladdīnem culpandum quia ipse fīliā prīvātus esset, jussit generem referre eam,



...aut in carcerem conicī. Aladdīn autem, nesciēns quā dē rē sermōnem rēx habēret, nōn poterat respondēre.



Et cum ille in carcere conclūsus esset, cūstōs nārrāvit eī quōmodo rēgia noctū ēvānuisset ūnā cum rēgīnā.



Illā autem nocte Aladdīn nōn potuit dormīre. Sīc enim mærēbat ut, contortīs manibus, fricuerit ānulum quem jamprīdem ā sēcrētā spēluncā cēpisset.



Illō autem hæc faciente, alius genius quis subitō stetit juxtā eum ut parātus ad præcepta. Aladdīn autem cōnfestim nōn intellēxit.



Deinde vērō memor ānulī quem cēperat ab hortō sēcrētō subterrāneō, lætē imperāvit.



Simul ac dīxit, stābat sub fenestrā rēgiæ, oculōs attollēns ad rēgīnam et uxōrem. Quæ quidem nōn vīdit eum quia lacrimābātur, vocante autem illō,



...dēspexit et, vōculā ēmissā, læta cucurrit ad salūtandum marītum dīlēctum.



Itaque Aladdīn statim ascendit per fenestram, Amīna autem monuit eum ut tacēret, nē servus quīdam audiēns dīceret magō.




Et cum audīsset illīus nārrātiōnem, rēgīna omnīnō improbāvit cōnsilium ejus. Nam Aladdīnem monuit magum scelestum etiam nunc lucernā præditum tam potentem esse ut omnia perderet.



Aitque magum quidem ā rēgiā modo abesse, ipsīs autem opus esse cōnsilium capere ut āmovērent lucernam ab eō.



Aladdīn autem in pectore diū volūtāvit. Sciēbat enim ipsīs lampadam, magō nōn animadvertente, capiendam esse; aliōquīn magus, lampadā frictā, genium imperāret.




Subitō cōnsilium datum est eī. Ipsum nempe prōgressum ad proximum vīcum ēmptūrum esse aliquid somnō ad magum adferendō.



Aladdīn ergō, cōnsiliō subitō agēns, cito dēscendit dē fenestrā.



Et serpsit per dūmōs donec tūtō distāvit ā magī servīs, quī vīsūrī eum fuerint.



Inventōque ā paucīs mīlibus passibus vīcō, spērāns sē quod sibi opus erat inventūrum, rēcta īvit ad tabernam medicīnam.



Medicāmentārius autem Aladdīnem lætificāvit dīcēns sē, scientem quō opus eī esset ūtī, cōnsentīre ad paulum faciendum.



Et diū morātus tandem extulit lagunculam, prō quā permagnam pecūniam poposcit.



Aladdīn igitur fricuit ānulum, cujus autem genius appāruit.



Et Aladdīn postulāvit sacculum centum aureōrum plēnum!



Tum autem magna pēra suspēnsa appāruit.



Quā in medicāmentāriī manum trāditā, Aladdīn lagunculam cēpit. Medicāmentārius autem magis admīrābātur quam ut verbum faceret.



Nocte jam factā, rēgia appāruit Aladdīnī. Quī autem spērābat magum nōndum cēnāsse.



Et cum invīsus pervēnisset ad fenestram in rēgīnæ conclāvibus, remissā vōce vocāvit eam.



Quæ, cum eum vehementer salūtāsset, ait magum mox ascēnsūrum esse ad cēnandum cum ipsā.



Aladdīn autem jussit uxōrem īnfundere pulverem, magō nōn adspiciente, in pōcillum ejus. Deinde, magō scelestō dormiente, ipsōs



Quī cum fīnem dīcendī modo fēcissent audīērunt magum venientem. Amīna autem pepulit Aladdīnem in cellam, ubi nē vidērētur.



Et rēgīna expectābat dējectīs in terram oculīs dum magus introībat. Effūderat enim jam pulverem in pōcillum quoddam.



Et manū tremēns trādidit magō pōcillum habēns medicāmentāriī pulverem. Spērābat vērō illum nē gustandō suspicātūrum aliquid esse.



Vetus autem īnsidiātor sibi tam placēbat ut nē per somnum quidem cognōsceret rēgīnam dolum in ipsum nectere.



…dōnec pulvis subitō incēpit operārī. Magus autem nōlēns obdormīscere extrāxit dīmidiam partem lucernæ.



Deinde, oculīs clausīs, ōre apertō, lentē stertēbat.



Aladdīn autem, cum sē ad magum inclīnāvisset, nōn poterat capere lucernam, nisi ēvellerat. Sī vērō ēvellisset, manus magī fricuisset lucernam. Sed hoc inūtile fuisset quia…



… genius nihil fēcisset in possessōrem lucernæ.



Quam levissimē et secundum digitōs Amīna rēgīna laxāvit manum magī.



Postrēmō illa prehendit, inimīcus autem perdormīscēbat!



Nunc tūtī nesciēbant quidnam faciendum esset. Utrum magus scelestus dīmittendus esset an... ?




Rēgīna autem paulisper cōgitāns ait...



Longē vērō illinc distāns, socer Aladdīnis rēx, stāns ante fenestram spectābat agrum trāns urbem dēsertum, ubi rēgia Aladdīnis ōlim sita erat.



Hominēs autem sistentēs adspiciēbant locum nūdum ubi parietēs marmoreæ et columnæ aureæ tertiam illam diem lūxerant.




Subitō fulsit fulgur, rēgia autem Aladdīnis iterum appāruit, tamquam numquam mōta esset.



Rēx autem intuēns et mīrāns jussit prīncipem aulicum plānē cognōscere...



Deinde mūtāvit cōnsilium. Ipsum enim itūrum quam citissimē equō posset trāns urbem vehī.



Et vēlōciter vectus est per viās quæ lucernīs concurrentium facibusque illūminābantur.



Et cum ad Aladdīnis rēgiam pervēnisset, cucurrit ascendēns ut comperīret utrum ipsa vēra esset.



Rēx ergō recēpit in ulnās Amīnam, metuēns nē illa iterum ēvānēsceret.



Et priusquam rēx sē ad Aladdīnem verteret, rēgīna, indicāns magum dormientem, nārrāvit quæ ab eō facta essent.



Rēx autem cum vēra audīvisset īrātus est. Et ēvāgīnātō gladiō occīsūrus erat magum...



...nisi Aladdīn prehendisset lacertum ejus, rēgī dīcēns sibi melius cōnsilium esse ad scelestum inimīcum dīmittendum.



Aladdīn autem extractā lucernā ex tunicā, tenēbat ostendēns.



...fricuitque eam ānulō in alterā manū magicō!




Tum ambō geniī appārentēs rogāvērunt quid ille præciperet.




Itaque Aladdīn jussit eōs magum in æternum conclūdere in hortō subterrāneō, ubi ipse lucernam ānulumque invēnerat.



Sed et is lucernæ et ānulī genius, illō stupefactō, nōluērunt. Aiuntque Aladdīnem ab ipsīs postulandō ut hujusmodī hominem in locum sacrōsānctum ferrent…



…perdidisse potestātem eīs amplius præcipiendī.



Cum Aladdīn malevolus nōn fuisset, aiunt, sē lātūrōs esse magum quōnam ipse juberet.



Aladdīn ergō jussit eōs, magō ad altissimum dēsertissimumque tōtīus Āfricæ summum montem ab-ductō, inclūdere eum in cellā ex ipsō saxō sectā, sēcum habentem frūmentum et aquam cēteræ vītæ ejus.



Aladdīn ideō hæc locūtus est, duo autem geniī ēvānuērunt. Enimvērō postrēmum appāruērunt.




Rēx autem, ad Aladdinem honestandum atque reditum fīliæ salvæ celebrandum, prōnūntiāvit septem diēs cum cantibus fēstōs.



Hominēs igitur saltāvērunt noctēs et diēs in viīs...



Cotīdiē autem tempore pōmerīdiānō novī marītī rēgnantēs spargēbant pugillōs aureōrum in turbās plaudentēs.



Quae autem egēnīs dabant pauca erant ad dīvitiās quās genius in thēsaurō posuerat.



Et uterque sciēbat thēsaurum parvum esse ad gaudium inter sē commūne. Beātī ergō semper vīxērunt.


ASINUS ET BŌS
Quam æmulor tē, Aurīte! Habēs enim pulchrum stabulum et abundantiam pābulī, neque labōrās
[Rudō] Bōs stultē, possēs eādem…
eādem tē cūrārī et mēmet. Modo fatīgātus dēsine ab operibus; recūsā edere nisi optimum cibum…
O, iste callidus asinus, nisi eum inhibuerō, hujusmodī sermōne corrumpet bonum bovem meum!
Agricola autem, quī vērō pilleum magicum habēbat ad intellegendum omnium bēstiārum sermōnēs, auscultābat.
Jam intellegēmus…
Postrīdiē asinus adāctus est prō bove arāre ita ut dēfatīgārētur.
Heu mihi!
Avē, Aurīte! Hodiē ēgī ōtium. Crās autem nōn operābor antequam mihi frūmentum pulchrumque stabulum data erunt.
Illā quidem nocte asinus ex stabulō sibi pābulandī causā ējectus est. Erat autem lassior quam ut ederet.
Attende, nē tālem rem tentāverīs! Audīvī enim agricolam dīcentem nisi tū plūs labōrāverīs quam labōrāstī sē vēnditūrum tē ut carnem būbulam!
Absit! Aliōquī pereām!
Eho, eho, eho! Ille cēpit documentum itemque Aurītus!
Postrīdiē bōs, lætus sē ornāmentīs īnstrātum cum posset in laniēnā esse, ēnīxius operātus est quam umquam!

Terra Aladdīnis

